



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Concordia. Pia Et Vnanimi Consensv repetita Confessio  
fidei & doctrinæ Electorum, Principvm Et Ordinvm Imperii,  
atq[ue] eorundem Theologorum, qui Augustanam  
Confessionem amplectuntur**

**Lipsiæ, 1606**

De Coena Domini.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35443**

Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur.

**T**antum ex scriptura sacra de Baptismo simplicem Christianum nosse sufficit. Similiter & de secundo Sacramento paucis & simplicibus verbis, nempe ex Pauli prima ad Corinthios Epistola capite II.

## DE COENA DOMINI.

**D**ominus noster IESVS CHRISTVS, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, deditq; discipulis suis & dixit: Accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescunque biberitis in meam commemorationem.

*Quinque  
partes  
Christiana  
doctrina.*

**I**ta passim quinque partes esse videmus totius Christianæ doctrinæ, quas subinde exerceri, atq; ad verbum à pueris exigi & audiri oportet. Neq; enim est, quod speres, iuuenturè ex solis concionibus illa comprehensuram, aut sensibus & memoriæ reposituram. His ergo probè perspectis & cognitis, non incommode atq; intempestiuè aliquot etiam Psalmi & hymni in hoc formati & expositi, pponi possunt pueris, ut hęc priùs perceptis quasi roborentur & confirmentur: utq; hac ratione iuuentus scripturæ legendæ & exercendæ assuescat, ac quotidie maioribus incrementis aucta progrediatur. Sed non in hoc contenti esse debemus, ut

hæc tantùm verbotenus percipiantur ac recitentur, sed hoc etiã curæ tibi sit, vt iuuentus sedulò intersit concionibus, præsertim ijs temporibus, quæ exercendo Catechismo destinata suat, vt hæc exposita audiant & quid singula in se comprehendant, non oscitantes discant intelligere: aded vt promptè audita recitare calleant, & interrogati, scitè respondere queant, ne citra fructum ista pro concionibus doceantur. Eam enim ob rem nos hanc operam hoc diligentius sumimus, Catechismum subinde prædicantes, vt hæc iuuentuti diligenter inculcentur, nullò quidem orationis splendore aut apparatu rhetorico, neq; alto ingenij acumine, sed breuiter, & simplicissimè, vt hoc faciliùs & fideiùs dicta nostra percipiantur, & tenaciùs memoriæ infixæ hæreant. Quocirca supra memoratos articulos iam nunc singulatum tractandos in manus sumemus, atq; de ijs, quantum fieri poterit, & necessitas postulauerit, significantissimè verba faciemus.

## P R Æ C E P T V M P R I M V M.

Non habebis Deos alienos coram me.

**H**OC est, me solum pro D E O tuo habebis ac coles. Quid verò hisce verbis sibi vult, ac quomodo hoc intelligendum est? Quid est habere Deum? aut quid est Deus? Responso: Deus est & vocatur, de cuius bonitate, & potentia omnia bona certò tibi pollicearis, & ad quem quibuslibet aduersis rebus atque periculis ingruentibus confugas, vt D E V M habere nihil aliud sit, quàm illi ex toto corde fidere & credere, quemadmodum sæpenumero à me dictum est, quòd sola cordis fiducia D E V M pariter atque Idolum faciat & constituat. Quòd si fides & fiducia recta & sincera est, Deum

*Quid sit  
Deus.*